

3

# INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER HIEMEM ANNI MDCCCXC—MDCCCXCI

A DIE XVI MENSIS OCTOBRI

HABENDARUM.

---

PRAEMISSA EST

MARTINI HERTZ DE HORATHI OPERUM EXEMPLARI OLIM GUYETIANO NARRATIO II.

---

TYPIS OFFICINAE UNIVERSITATIS (W. FRIEDRICH).



In priore parte narrationis de Horatii operum exemplari Guyetiano proximo scholarum in hac nostra academia habendarum indici praemissa et omnia ea indicata sunt cuiusvis generis poemata, quae tota spuria aut suspecta esse Guyetus ibi significavit, et quae de singulis strophis versibusve carminum, epodon, carminis saecularis tamquam insiticiis eliminandis ab eo adnotata inveniuntur.\*) Sed etiam in satiris, in epistulis, in arte poetica permulta eum pro subditiis habuisse nec antea post Marollii excerpta ex eodem hoc volumine facta ignorabamus (cf. part. I p. 5 sqq.) et ego, si vita mihi suppeditaret, me accuratius quae eo pertinerent propositurum esse dixi (ibid. p. 18 sq.).

Iam igitur in satirarum lib. I sat. 1 Guyetus deleri iubet v. 27; 34 sq.; 43 sq. (non recte Marollius teste Fritzschio philologi t. XXXV p. 480, cuius excerptis accuratissimis p. 480—486 ibi propositis utor cf. I p. 7 n. \*), v. 44 sq. indicat); ex vv. 54—67 unum retinet 62 'inquit' in 'inquis' mutato, praeterea autem v. 63 sq. verba: 'iubeas miserum esse, libenter Quatenus id facit, ut' uncinis quadratis includit, significans hunc versum in ipsos versus illos interpolatos inculcatum esse; tum delet v. 73—75 et 88—100, illic addens 'ex alio loco expressa videntur', hic in altero margine, 'S; supra iam dixit Non vxor saluum te vult etc.', in altero 'notha' et in lin. sq. 'iam dixit. Non vxor etc.', versus igitur 33 (32 Maroll.) ex 121.

Sat. I 2 delet versus 96—100, tamquam suspectos > in mg. addito indicat v. 108 sq. et III (non tertium, quem pro eo nominat Marollius, qui tres has lineolas recte scripserit, postea non recte III pro III legerit).

Sat. I 3 eicit v. 25—42; 49—54; 56 sq.; 63—72. Ad v. 25 adscripsit 'Pervideas hic ineptum est et Flacco prorsus indignum.' et postea 'quidam praevidas pro praetervideas sed male. Heins.'; ad v. 29 sqq. 'haec non Horatii sed interpolatoris Grammatici cuiuspiam videntur, qui Virgilii Flacci (sic) nostri amici vitia describere hic voluit; ad 'inseverit' v. 35 'hanc phrasin imitatus est interpolator ex Sat. 4 [v. 105] inseuit pater optimus hoc mi. sic

\*) P. 5 n. \*\*\*) lin. 1 lege ibi edocuit | Sigla p. 9 lin. 20 cum n. \*) descripta non omnia significat, sed saepius infra magis perspicue repetita, ut recte animadvertit Gustavus Türk, Nota | p. 13 lin. 9 a f. leg. 'P' | p. 14 lin. 12 a f. in mg. add. c. IV 4, lin. 4 a. f. c. IV 8 | p. 15 lin. 3 post rediit add. | p. 16 in mg. ad lineas 3; 4; 5; 6; 8 add. numeros epodorum 5; 6; 9; 14; 16 et 17 deinceps ibi tractatorum | Sigla ibidem lin. 6 depicta a Guyeto significari ceraunium me edocuit Gottholdus Gundermann, allata Isid. Or. I 20 § 21, ubi poni id dicitur, quotiens multi versus improbantur, ne per singulos obelentur | p. 17 lin. 20 post videtur add. |

enim legendum. vt Lamb.; ad v. 57 'multum est demissus homo] demissus homo hic est animo demisso et abiecto ni fallor. commentator pro simulatore et sycophanta accipit. Sic enim hunc locum exponit; Si quis probus nobiscum uiuit, dicimus eum tristem, humilem, sycophantam. cui Cato grammaticus concinit; Demissos animo ac tacitos vitare memento; Quà flumen placidum est forsan latet altius unda.', quibus postea addidit 'sed haec notio τὸ demissus fuerit fortassis horatii aetate posterior'.

Sat. I 4. In satira 4 v. 9 et 10, tum etiam 11 lineolis traductis delevit, prioribus duobus etiam notam >et 'susp.' in mg. adscripsit, ad 'ducentos' adnotans 'ex istis sumptum videtur: at si quis pedibus quid claudere senis Hoc tantum contentus amet scripsisse ducentos Ante cibum versus: totidem coenatus etc.' [sat. I 10, 59 sqq.], ad 'versus' τὸ versus susp. propter superius' [v. 8], ad v. 11 parenthesis signo in initio versus eraso, in fine servato 'an hic versus parenthesi includendus? ἐπέχω. An S. erat.' et ad 'tollere' in eodem versu '.i. excipere, sumere. Sat. X. [v. 50]. At dixi fluere hunc lutulentum: saepe ferentem plura quidem tollenda relinquendis. tollenda .i. sumenda. relinquendis .i. abiiciendis', quibus postea addidit 'sed haec ex illis huc intrusa videntur'. Praeterea non nisi v. 26 tolli iubet: 'Aut ob auaritiem. hic versus' inquit 'subdititius videtur, nec τὸ laborat ob auaritiem ferendum. τὸ quemuis media erue turba, positum pro quosuis .i. quoscumque in turba deliges, ex illis hic insanit amoribus nuptarum, ille puerorum etc. hunc capit argenti splendor. igitur τὸ aut ob auaritiā (sic) subditi[ti]u'.

Sat. I 5. Quintam satiram omnino intactam reliquit Guyetus.

Sat. I 6. Satiram sextam finire voluit in v. 121 (obeundus Marsya, qui se Voltum ferre negat Noviorum posse minoris); versibus extremis 122—131 superscripsit 'Sequentia subdititia et inepta. supra enim acta diurna enarravit omnesque lineis transversis delevit, ita tamen, ut primum duos tantum extremos versus amovere voluerit, quibus notae illae >ad marginem appictae sunt quique linea interposita a praecedentibus separantur. praeter lineas illas transversas omnibus his versibus communes praeterea aliae exstant antea, ut manifestum est, exaratae, quae ad solos hos duos delendos pertinent.

Sat. I 7. In hac satira decem versus a nono usque ad duodevicesimum in unum versum ex priore illius, posteriore huius parte compositum Guyetus contrahit: 'Ad Regem redeo. Bruto praetore tenente', media uncinis quadratis includens adscriptis in fine his 'lineis inclusa suspecta mihi videntur et subdititia. itaque connectenda videntur hemistichia, Ad regem redeo. Bruto praetore'. Littera χ praeterea apposita est ad v. 13, cui adscribitur '.i. ita capitalis, vt etc. ἐλλειπτικῶς. sed haec phrasis suspecta est; ira capitalis inter hectora et Achillem. pro lis, discordia'; ad v. 16, ubi 'bellum' subnotatur addita interpretatione '.i. lis discordia ut supra' (cf. adn. ad v. 10 sq. 'ordo; omnes quibus incidit bellum adversum hoc iure sunt molesti .i. quo fortiores sunt eo et sunt pervicaciores. τὸ bellum hic est lis, discordia sic Cic. [de n. d. II § 125] naturale bellum est milūo cum coruo .i. lis, discordia, sic infra; aut si disparibus bellum incidat.); ad v. denique 17, ubi subnotatur voc. 'pigrior'.

Sat. I 8; Saturae 8 et 9 a tali suspitione intactae manent, decimae, quae in ed. Heinsiana  
9; 10. incipit a versu 'Nempe incomposito' etc., praeponit 'hic in lib. primo Regio vt et in aliis mss. versus 8 nothi reperiuntur quos huic paginae subiecimus. Lamb. agnoscit et ὀβελλαί,

in ima vero pagina leguntur versus illi 'Lucilli (*sic*) — vt redeam illuc, Nempe incomposito etc.' inscripti 'NOTHI VERSUS è lib. Reg<sup>io</sup>. primo'.

In hac quoque satira modo versus 50 et 51 eicit Guyetus.

Sat. II 1.

In altera vero huius libri satira condemnat v. 13 (pro quo Marollus non recte affert v. nonum); 27—29; 38; 63 sq., quattuor denique versus extremos 133—136; praeterea ad v. 89—93 et ipsos per singulas lineas supra et infra a reliquis separatos et linea transversa tamquam suspectos significatos in mg. adscribit 'hi versus nec mali sunt, nec Horatio indigni, sed hic locum habere non videntur. ἐπέχω'. Ad illas condemnationes addendum est primum v. 13 et 14 Guyeto suppositos visos esse: utrique enim signum < appinxit et in mg. 'Nothi' posuit nec v. 14 minus quam v. 13 lineis tractis delevit; postea vero et has lineas et signum illud in v. posteriore erasit; ad v. 38 'Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit' adnotat 'vsitata, quae passim inveniuntur', ad v. 133 sqq. 'hi 4 versus authoris non sunt, quicumque ille sit, sed Grammatici cuius[dam]\*) qui vmbreni nomen huic Eclogae inserere voluit'.

Sat. II 2.

Tertiae saturae v. 7 sq. damnat his argumentis usus 'hi duo versus suspecti, paries natus non placet. cur iratis poetis natus? nam diis iratis .i. Apolline et Musis dici potest recte, cum dii hominibus aversi aut propitii esse dicantur, homines hominibus nequaquam. interpolator e Persianis [IV 27] expressisse videtur: Diis (*sic*) iratis genioque sinistro'; ad v. 72 sq. adscribit 'hoc inepti grammatici additamentum videtur'; post v. 186 quinque asteriscis interpositis ad v. 187 'Nequis humasse velit Aiace, Atrida, vetas cur?' adnotat 'nouis dialogus inducitur inter Pleb. et Agam.' insequentibus vero versus usque ad v. 210 delet nec non linea librata ab his separatos v. 211—213; in margine autem imo legitur 'Hic Dialogismus e[st] inter Agamemnonem et Plebeium aliquem: sed apud Sophoclem, unde locus desumptus est, sermo est inter Teucrum et Menelaum. quod notandum.', ac postea his additum 'caeterum aut hic aliquid deest, aut quod magis placet insititia sunt haec propter sequentia illa. Si quis lectica [v. 214] etc. huc intrusa; tum deleti sunt v. 243—246 (v. 245 praeter > praepositum etiam χ in fine additur voc. 'impenso' lineola notato) et 272—295: ad v. 274 adscribitur 'Pers. [I 35] Eliquat et tenero supplantat verba palato. vide locum. Si Pers. hunc locum imitatus est ut videtur, necesse est Horatii libros ante Persii tempora interpolatos fuisse', ad v. 275 sq. 'adde cruorem' etc. 'obscura nec Horatiana videntur', v. 284 et 286 χ notati, in illo 'utrisque', in hoc 'Exciperet dominus' lineola signatis, ad 'Meneni' v. 286 adnotatur 'Reg. pr. Memini. ad quam lect. alludit τὸ μεμηνέναι, μέμηναι. plerique libri habent Meneni quod alludit ad τὸ μανῆναι et μεμηνέναι. sed haec Horatiana non videntur'. Hunc vero versum quinque asteriscis iterum interpositis a praecedentibus separavit G., ad finem vero totius huius loci interpolationis rei post v. scil. 295 peculiari linea librata transducta insignitum adscripsit 'aliquid hic deesse putarunt interpolatores'. Quattuor versibus post ad extremum v. 299 adscriptum atque sub eodem iteratum legitur 'FINIS.' v. extremis a v. 300—326 deletis.

Sat. II 3.

\*) 'cuiusdam' recte supplevit Maroll.; hoc voc. cum duobus praecedentibus in spatium angustissimum inter lineolam praecedentem et subsequenter inculcatum est, in fine non apparent nisi litterae 'cuius' punctis nonnullis .:, ut mihi quidem videtur, additis.

- Sat. II 4. In hac satira v. 6 sq. et novem versus extremos damnavit Guyetus, his 'Nothi' adscribens.
- Sat. II 5. Ad 'cum te servitio etc.' v. 99 adnotat 'seqq. 2 versus delendi' et ad eorum prioris partem alteram 'quartae sit partis Ulyssis' adscribit 'pro, ex quadrante, inepte.' Tum v. 105 voc. extremum 'funus' et v. insequentem praeter duas extremas syllabas 'si quis' inducit et delet.
- Sat. II 6. Tamquam spurii notantur v. 17—19; 27; 29—31; 85—87; 105.
- Sat. II 7; 8. Deleti in sat. septima v. 61—71 (ad extr. v. 71 extr. voc. 'catenis' χ adscripto); 84; 115; in octava, quam totam spuriam habuit (cf. quae mox ad epistularum libri primi initium admonebimus), post v. 28 quattuor asterisci positi cum adnotatione 'Hic deesse aliquid videtur', v. duobus insequentibus 29 sq. extinctis; v. quoque 79—83 deleverat Guyetus, sed postea lineas et libratas et transversas, quibus id significaverat, erasit, remansit tamen ad mg. nota 'susp.' et sub 'lagenae' v. 81 χ cum adnotatione marginali 'quasi unica sit.'
- Quod ad epistulas attinet, admonendum est, eas fere omnes totas spurias haberi (v. I p. 16 sq.); sed in talibus quoque poematibus singulas partes pro insitiis a Guyeto habitas esse iam indicatum est (I p. 10; 11 sq.; 17). Hoc vero non pertinet ad ep. I 3; 5; 6; 8; 9; 13; 17; 20, sed tantum ad I 2; 4; 7; 10—12; 14—16; 18—20 atque ad duas libri alterius epistulas et ad artem poeticam; numerum versuum a Guyeto ibi pro insitiis habitorum satis imparem esse iam I pag. 17 indicatum est ac nunc accuratius significandum erit.
- Ep. I 1. In Ep. igitur I 1 delentur v. 16—18; 27; 56; 106—108; deleverat Guyetus etiam v. 49—51 iisque postea, ut videtur, addiderat v. 52, tum vero lineis deleticibus et ipsis deletis v. 52 inter v. 48 et 49 quamvis non sine dubitatione aliqua transpositurus erat (v. infra pag. 14). Ad v. 16 sqq. in imo mg. adnotavit 'haec Horatii esse non videntur. Nam quid est τὸ Agilis fio? quomodo τὸ versor ciuilibus undis homini ἀπράκτω (sic) convenire possit?'; ad v. 27 'Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis' adscripsit 'quibus Elementis? An sequentibus Non possis oculo etc. non placet.'; ad v. 56 Laevo suspensi etc. 'inepte repetitus est hic versus e Sat. 6 [v. 74] libri primi', non recte autem Marollius dicit, duos etiam versus sequentes ab eo pro interpolatis habitos esse, cum de iis ordinandis modo disputet (v. pag. 15); versibus denique tribus extremis adscripta est nota 'susp.' et interrogatio 'unde haec conclusio?'
- Ep. I 2. In ep. 2 v. 44 sq. primum deleverat, tum lineas deletiles libratas eraserat, postremo vero lineis transversis iterum spurios sibi videri indicaverat addita nota 'haec locum non habent hic et subdititia videntur.'
- Ep. I 4. In ep. 4 signo interrogationis post v. 8 posito v. 9—11 delet; ampliori de v. 9 scriptura disputationi in fine postea pallidior atramento addit 'varietas lectionis falsi indicium. qui, quin, quam.'
- Ep. I 7. Septimae epistulae demendos esse censet v. 10—13; 24—28; 37—39; 59; antepaenultimum et paenultimum (96 sq.). Signa condemnationis ad versus 10 sqq. eradere voluisse videtur, at substitit in hac opera exsequenda et ad mg. adscripsit 'interpolator hic aliquid deesse putavit et inepte supplere voluit.'; ad v. 24 adnotat 'Dignum praestabo etc.] Regii

2<sup>da</sup> adnotatio: Ordo; dignum praestabo me etiam laude promerentis. sed versus hic suppositivus videtur; ad v. 25 sqq. 'et hi sunt inepti et inutiles, per apologum enim rem agit cum Maecenate, et ille venuste voluntatem suam ostendit. huic loco similis est alter pag. 165 versu 12 [Sat. I 3 v. 37]; ad v. 28 'Inter vina fugam Cynarae (*sic*) maerere protervae' in mg. superiore 'ex inferioribus sumptum videtur pag. 241. Quem scis immunem Cynarae placuisse rapaci [ep. I 14, 33]; ad v. 37 sqq. 'hi tres versus mihi suspecti sunt' et a lin. 'nec ad Horatii mentem nec ad rem.', ad v. 59 (gaudentem) 'Et ludis et post decisa negotia campo' 'spectandi causa, non exercendi sc. sed versus hic non est sine suspicione. Qui enim homo ad rem ita attentus vt Vulteiis amet campum et ludos?' ibique voc. 'decisa' subscribitur χ et in mg. adnotat 'τὸ decisa negotia non placet.'

Ep. I 10, litteris S.S.S., ut dictum est I p. 17, signatae, tamen ut, quod ibi omisum esse doleo, paulo infra adscribatur 'Horatio non indigna', condemnantur v. 4 sq. (non 3 sq., quos indicat Marollius, qui praeterea non recte etiam v. 24—28 huius ep. a G. exstinguat dicit). Ep. I 10.

Ep. undecimae versibus 7—10 adscripsit G. 'insititia et notha videntur', praeterea voc. 'Fidenis' v. 8 χ. notam subscripsit eaque in mg. repetita adnotavit 'prima brevis est in Fidenus. Verg. [Aen. VI 773] vrbemque Fidenam. in Fidenae longa luuenalis [VI 57; X 100]. Propertius [IV(V) 1, 36]'; tum condemnat v. 22—26, ad mg. apponens cum inscriptione 'ex Cruq.' 'Hi duo versus Tu quaecumque deus, et sequens in Blandinianis codicibus non fuere primum scripti sed multo post tempore sunt adjecti vt ostendunt characteres in trib. Bland. lib. Hinc patet suppositivus esse, vt et sequentes tres, sed tempore posteriores. G.'; voc. 'fortunaverit' v. 22 praeterea subscribitur χ. Ep. I 11.

Huius epistolae tumquam spurii indicantur v. 7—9. 'quare' ait G. 'divitiae tibi nihil addere poterunt? vel quia qualibet pecuniae vi accedente natura tamen (?) mutari non potest: vel quia pro doctrina philosophiae, qua penitus imbutus es, pecuniae, et opes omnes, vna virtute tibi minores videntur. sic vides superiora cum his inferioribus connecti, ut intermedia illa, vtpote inepta et spuria, prorsus rejicienda sint.' praeterea voc. 'inauret' v. 9 χ subscriptum est. Ep. I 12.

In ep. 14 v. 7 sq. deletis vocc. 'rpto—insolabiliter' in unum contrahit, tum eicit v. 36—39: 'Hos' inquit 'quatuor versus qui Horatii cum seruo comparationem divellebant vt spurios damnamus.' Ep. I 14.

Ep. 15 G. condemnat v. 10—13, nil addens nisi χ sub voc. 'auris' v. 13; de v. 27 sq. epistolae insequentis ab eo in suspicionem vocatis dictum est I pag. 10 et 17; condemnat ibi tum v. 32, 34 sq.; paulo post v. 36—41 non delet quidem lineis traductis, sed in mg. scribit 'hi sex versus suspecti', item 'susp.' adposuit ad v. 44 sq.; idem ad v. 53 adscriptum erat, sed deletum est, ipso versu lineis traductis condemnato; nec minus condemnantur v. 55 sq., quibus G. adscripsit 'nothi. indicium varietas notabilis. vide Lamb.' et 16. Ep. I 15;

Huius epistolae 112 versus continentis 48 ab eo damnari iam I p. 17 indicatum est; hic addere liceat, hunc audaciae gradum bilem Marollio movisse, qui versibus a Guyeto deletis enumeratis eorumque numero prolato addit 'mais c'est un peu trop.' Sunt autem hi versus condemnati v. 49—64; 67; 74 sq.; 81—85; 89—112, quibus nonnulli alii in suspicionem vocati accedunt. Iam ad voc. 'decem' v. 25 'Saepe decem vitiis instructor' etc. G. adscribit Ep. I 18.

'i. multis. Hor. non videtur'; in v. 49 sqq., quibus praeter lineas deletrices, in mg. bis S. S. apponitur, ad verba 'Romanis solenne viris opus', v. 49, in quibus voc. opus  $\chi$  suppositum est, additur 'i. consuetum ἔθρον' atque ad 'opus' 'inepta appositio', ad v. 50 sq. et ipsos  $\chi$  signatos 'τὸ et vel non placet'; tum autem ad 65 sq., qui inter v. 64 et 67 intacti remanserunt, tamen addit 'et hi duo versus superioribus addendi videntur'; etiam ad v. 74 sq. praeter lineam deletricem in mg. adscribitur S., ad v. 81 sqq., in quibus vocc. 'Theonino' et 'ecquid' v. 82  $\chi$  subscribitur, S. S., v. 88 vero subscribitur FINIS.; sequentibus versibus usque ad finem in libris traditum saepius S. S. apponitur (v. scil. lineis libratis a praecedentibus et insequentibus separatis 90—92; 96 sq.; 100—103; 109—112) atque iidem praeter v. 90—92 etiam > illo sollempni insigniuntur: videtur G. primum singulas totius huius versuum complexus particulas condemnaturus fuisse, tum demum omnes condemnasse. Ad 'bibuli'  $\chi$  signatum v. 91 adscripsit 'inepte.'; v. 98 sq. defensa lectione 'Num' in initio et interrogationis signo in fine utriusque versus posito addi 'Si Horatius epistolam scripsit, quod non ita mihi constat, censura nostra placet. sed ἐπέχω.', iam I pag. 17 adnotatum est.

Ep. I 19. In ep. 19 ad v. 21 sqq. tamquam spurios non signatos tamen adscribit 'Haec horatii modestiam non sapiunt. Singultim pauca locutus. infans namque pudor etc. [sat. I 6, 56 sq.]; in v. 25 'agentia', in v. 26 'breuioribus'  $\chi$  subscripto signat atque huic in mg. adscribit 'Hor. n. vr., linea vero transducta delet et v. 30 sq. addito argumento: 'haec iam supra: non res et agentia verba Lycamben [v. 25]. et versus duos extremos 48 sq., addens 'quid vult dicere? inepta sunt ista et subdititia videntur.'

Ep. II 1. > praepositis condemnat G. v. 13 sq., versibus 55 sq. nullo tali indicio designatis adnotationem in imo margine adscribit 'hi duo versus suspecti', v. 130 sq. vocc. 'orientia—exemplis' uncis quadratis inclusis in unum versum contrahit, illorum interpretationi hic proposita postea adscribens 'sed haec insititia videntur'; v. 198 deleuit (deleverat etiam v. 197, sed id retractavit), in mg. sinistro adscribens 'haec insititia videntur. mimum pro mimo in quibusdam libris visitur. varietas lectionis', in dextro 'quidam liber apud Cruq. habet Mimum, alius nimio. sed versus subdititius videtur', quibus postea addidit 'varietas lectionis indicium falsi.' v. 261—263 non tantum linea transducta et nota > singulis apposita delentur, sed etiam 'suspecti' ad mg. vocantur.

Ep. II 2. Spurios G. in initio huius epistulae, de qua in universum cf. I pag. 10 extr. et 17, indicat v. 9 et 18 sq.; in illo et 'indoctum', quod sic explicat 'i. quod non didicit. ἀποδιδαντον.' et 'bibenti'  $\chi$  subscripto notavit, horum alterum > tantum, alterum linea quoque transducta signavit et ad 'hunc' interrogationem 'quem?' addidit; praeterea ad 'fiet' v. 5 adnotat 'Hor. non videtur', quod et ipsum suspicionem potius quam corruptelam videtur indicare. Tum in v. 77 sq. et in v. 79 sq. linea librata ab illis olim separatis remanserunt vestigia obelismi postea extincta, nisi quod ad hos remanet nota marginalis 'inepte repetita.' Versus vero omnes 87—140 spurios sic fortissime declaravit G. 'Notha sunt prorsus ista a mente et instituto authoris alienissima. quicumque ille sit.' nota  $\chi$  ibi subscribitur voc. 'ut' v. 87, visu v. 91, 'molimine' v. 93, ad 'apposcere' v. 100 additur 'Nota', ad 'honesti' v. 110  $\chi$  signatum 'an boni?', ad v. 111 'Audebunt quaecumque parum splendoris habebunt' 'ex ep. ad Pisones: vir bonus et prudens etc. pag. 283' [v. 445], ad v. 114 'Et versentur adhuc intra penetralia Vestae' 'i. domi abdita', quibus postea additum est 'Sed quid hoc sibi

vult? Et versentur adhuc etc. facile enim corrigi possunt non edita; proximis deinde versibus in mg. adscribitur 'ex arte poet. interpolata sunt haec', versui 125 sine ulteriore nota, sed certe eodem sensu 'Sat. 5. [v. 63] lib. 1. Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat'. Tum v. 149—154 universi uncis secernuntur singulique punctis praepositis tamquam spurii aut suspecti notantur ac similiter v. 158—176, ita tamen, ut v. 158 > nota insignitus insequentibus postea demum additus sit. Huius in ed. Heinsiana scripturam 'Si proprium est, quod quis libra mercatus et aere' correxit in 'Id pr. . . aere est', in mg. addens 'sic Comm. [Cruquianus scil. q. v.] sic codex antiquiss. Bland. sic et Lamb. ex opt. mss.', in mg. vero inferiore de v. 159 haec habet 'Lambinus hunc versum male cum superiore cohaerentem sic corrigebat; Si quaedam, vt credis consultis mancipat usus.', quibus postea addidit 'mihi ita scribendum videtur. Id proprium est quod quis libra mercatus et aere est', in superiore vero margine post hoc additamentum, ut mihi quidem videtur, scripsit: 'si proprium etc. hic versus cum seq. sic in vnum contrahendus erat et cum seqq. connectendus: si proprium est homini longus quod mancipat usus: Qui te pascit ager etc.', tum autem 'sed prior versus si proprium est insititius videtur' et vel post haec 'ἐπέχω'. Ad v. 164 extremum adscribit 'inepta et frigida sunt ista.'; 'emptis' (sic in ed. Heins.) v. 168 extr. in 'ipse' mutat et addit 'τὸ emptis cum seq. versu sub noctem insititium videtur'; ad v. 170 legitur 'Nota phrasin vsque qua'; ad v. 174 'et cedat in altera iura' 'Horatianum non videtur [quod ad totum h. l. rettulit Marollius] .i. in alterius dominium.' Ad versus proximi 177 post hoc, ut ei quidem videtur, emblema voc. extremum 'Calābris' adscripsit, certe ut suspicione hunc quoque locum non immunem esse indicaret (v. I p. 17 lin. 1 sqq.), 'supra quadrigas [immo 'quadrigis'] prima longa [I 11 v. 29] et lachryma [I 17 v. 60] itidem non placent; ad 'simplex' v. 193 '.i. non tenax, non parcus Comm. An simplex hic est genio obsequens, naturam ducem sequens? placet. Nota significationem τὸ simplex'; ad 'utrum' v. 199 χ subscripto notatum '.i. siue. Hor. non est. apage.' ac postea 'Nota significationem.' (itidem ad 'an' v. 200 notatur '.i. siue'); ad v. 212 'ἀλληγορικῶς' etc., quod et ipsum non sine suspicione prolatum esse docent quae I 17 lin. 1 allata sunt. Sed in tota hac extrema huius epistulae parte inde a v. 177 signa, ut ita dicam, externa condemnationis non apposuit. Tamen his demum quadraginta versibus additis ad versus sive 82 (9 scil.; 18 sq.; 87—140; 149—154; 158—176) sive 86 (si addimus v. 77 sq. et 79 sq., in quibus condemnationis signa illa postea sublata esse vidimus), ab ipso homine κριτικῶτατο confirmatur iudicium I p. 10 extr. ex scidula eius descriptum 'Epist<sup>ae</sup> ad Iulium Florum secundae lib. 2 [216 scil. versuum] plusquam dimidia pars supposititia'; nec reliqua omnia genuina ei visa esse docere videtur notula ad v. 5 adscripta, quae supra proposita est.

Quod ad artem denique poeticam attinet, in hoc poemate 476 versuum undeseptuaginta reicit G., aliis nonnullis, quos et ipsos exilio destinaverat, civitate restituta. Sunt autem illi v. 108—111; 128—130; 212 sq.; 218 sq.; 230; 234—243; 260—262; 319—322; 337; 345 sq.; 382—384; 406 sq.; 422—425; 429 med. 430 med.; 434—437; versus denique viginti quattuor extremi 453—476. Condemnaverat autem praeterea, sed in pristinum statum lituris adhibitis restituit v. 133—135, non tantum lineis deleticibus erasis, sed adnotatione marginali aliqua addita prorsus extincta; 408—418: huius iudicii vestigium ibi remansit in adn. ad v. 418, ubi conicit 'sane' in 'serò' mutandum esse, addens 'sumptum

A. P.

videtur ex illo: Quae iuvenes (*sic*) didicere senes perdenda fateri' [epp. II 1, 84 sq.]; et videtur primum omnes hos versus inde a. v. 406 sublaturus fuisse G., tum in v. 406—411, postremum in v. 406 sq. tollendis substituisse; item deleturus erat totam partem poematis extremam inde a. v. 434, postea tamen ab interitu revocavit v. 438—452. Ad sententiam vero de illis versibus condemmandis stabiliendam plerisque has observationes addidit: versibus 108 sqq. adscripsit 'inepti versus et Horatio indigni'; voc. iuvat' v. 109 χ subdidit; in v. 128 eandem notam subscripsit voc. 'communia', quod ad mg. interpretatur 'nondum ab aliis tractata, vacua, à nemine occupata', quae ex Lambini adnotatione excerpta sunt; ad v. 212 sq. adnotat 'quid vult dicere? frustra laborant interpretes. Nothi sunt.', ad v. 218 sq. 'Vtiliumque sagax rerum' etc. 'si quid est in me sagacitatis' et a lin. 'hi duo versus subdititii sunt et Horatio indigni. vide interpretes', ad v. 230 'An Διδυραμβικόν loquatur? additamentum grammaticale [sic recte descripsit Marollius, quod Fritzschi causa addo] versus hic videtur, Nam quid ora(?)tione grandi et dithyrambica opus est in satyris ridiculis, et jocosis?'; ad 'dominantia' v. 234 χ signatum '.i. κυριεύοντα .i. κύρια', quibus postea addidit 'sed grammaticalia (Marollius h. l. male 'Grammaticuli', quod v. 230 in errorem induxit Fritzschi) sunt ista', praeterea per versus proximos nota illa > signatos vocc. 'nomina, verbaque, Dausne, Simone, sequar, iuncturaque' eandem notam χ subscribens, ad vocc. 'tragico differre colori' v. 236 tamen antea fortasse, ut mihi quidem videtur, addens, '.i. à tragico colore. Horatianum.'; v. 260—262 quamvis deleat, ad v. 262, cui in mg. dextro ad 'premit' adscripserat 's. jambus' adnotat: 'hic nulla trajectio facienda. Lambinus optime censuit τὸ jambus ἀπὸ κοινῶ repetendum. malè qui contra sentiunt.' De v. 319 sqq. sententiam in imo margine profert. 'Quid', ait, 'sibi volunt ista? fabula speciosa jocos, recte morata, nullius veneris, sine pondere et arte. Horatii esse credat judaeus Apella non ego'. tum sequuntur haec 'quaerendum an τὸ Morata sit aequale Horatio vocabulum'; at haec postea delevit G. addens 'apud Cic. legere memini ni fallor.'; ad v. 321 adscripsit 'τὸ valdius supra Epist. ad claud. Tib. N. [I 9, 6]. Ad v. 337 'Omne supervacuum pleno de pectore manat' addit 'translatum a vase pleno ex quo quicquid superat effluere solet. sed hic versus subdititius videtur'; ad v. 382 sqq., in quibus 'summam' χ et sub lin. et ad mg. notatur, 'inepti versus et Horatio indigni'; in v. 406 sq. χ subscripto signatur 'longorum' et 'lyrae sollers': ad v. 422 'unctum' χ signatum adnotatur 'vett. interpretes exponunt convivium. Lamb. obsonium. sed inepte omnes haec [v. sc. 422—425] Horatii esse crediderunt. G.'; in v. 429 sq. vocc. 'etiam—rorem', in quibus voc. 'stillabit' χ additum est, uncis quadratis inclusis adscripsit G. 'haec 2° hemistichia ss<sup>a</sup> [i. e. supposititia] videntur.'; in versibus viginti quattuor extremis χ subscriptum invenitur ad vocc. 'ructatur' v. 457, 'dicam' v. 463, 'narrabo' v. 464, 'frigidus' v. 465, ad v. 460 vero partem posteriorem 'non sit qui tollere curet' in summo mg. adnotatur 'ex Epist. 17 lib. 1 Epist. (*sic*) [v. 58 sq.] Nec semel irrisus triuis attollere curet fracto crure planum etc.' et ad 'frigidus' illud v. 465 'an ineptus, stultus? Horatii non est.'

Haec fere sunt, quae Guyeto spuria suspectave visa sunt. Iam igitur id fere absolvi, quod I p. 8 me praestare velle sponendi. Reliquas vero Guyeti adnotationes ad interpretationem et ad emendationem spectantes, de quibus verba facta sunt I p. 7, a me rogatus examinavit eaque quae memoratu digna sibi viderentur, imprimis inter coniecturas a Guyeto

de suo propositas, inde excerpsit Gustavus Türk, seminarii philologici sod. ord., qui iam editoribus catalogi mss. Graecorum bibliothecae Vratislaviensis urbanae laudabilem operam praestiterat atque hoc etiam officio cum accurata diligentia functus est.

Ipse Türkus de hac sua opera rationem sic reddidit:

Earum adnotationum, quas Guyetus carminibus Horatianis ab Heinsio editis in suo exemplari adscripsit, longe maxima pars compilata est cum ex scholiis Porphyronis, Acronis, Cruquianis, tum ex horum fere virorum doctorum commentariis: Landini, Georg. Fabricii, Mureti, Lambini, Turnebi, Pulmanni, Xylandri, Cruquii, Henr. Stephani, Torrentii, Dan. Heinsii. Ea, quae Guyetus aliis debet, partim nominibus eorum additis distinguit, partim non distinguit. Littera G non solum iis, quae Guyeti propria sunt, sed etiam alienis adnotationibus adpicta est idque nonnullis locis ita, ut etiam nomen auctoris adiungatur. Quod perpauca in commentario illo undique congesto invenimus, quae Guyeti propria sint, neque reprehendere neque mirari debemus, cum ille opus non tam ad publicum quam ad suum usum perfecit. Eadem de causa, quae sequuntur, adnotationes ex ingenti illo acervo selectae, ut quae memoria maxime dignae videantur, non tam ad Horatii carmina quam ad Guyeti studia melius perspicenda valent.

Sunt autem hae:\*)

carm. I 4, 5 imminente delet Guyetus; suprascribit incinente adnotans in margine .i. τῆς μῆνης ἐπαυλούσης. G.

carm. I 6, 7 duplicis correctum in reduces.

carm. I 9, 9—12 hic Horatius stoicum agit, providentiam generalem seu fatum admittens, singularem autem tollens.

carm. I 17, 20 vitreamque mutatum in vigilemque; in margine: an, vigilemque Circen, quod scil. operi intenta noctes vigilaret. Virg. [Aen. VII 13] urit odoratam nocturna in lumina cedrum. vide Hom. Odyss. Tum additum est: Placet. G.

carm. I 25, 20 Hebro mutatum in Euro; in margine: an Euro hiberno τῷ Εὐρῷ τῷ χειμερινῷ, similis error apud Virg. [Aen. I 317] admissus. volucrumque fuga praevertitur Eurum pro quo vulgo Hebrum. [Sic apud utrumque Rutgersius, apud Horatium iam ed. Ald. 1501; sic etiam Bentleius aliique, quos affert.]

carm. I 30, 4 adnotat: Torrentius Lambinum reprehendit, quod aedem hic sacellum exposuerit sed inepte ut solet. G.

carm. I 31, 8 mordet in mersat mutatum; in margine: leg.  $\overline{vr}$ : mersat .i. inundat. ex mersat τὸ merdat depravatam. an mertat ἀρχαϊκῶς ex quo merdat?

carm. I 35, 3 corpus in germen mutatum; in margine: scribe.  $\overline{vr}$ : mortale semen vel mortale germen .i. mortale genus. τὸ mortale corpus hic nullo modo placet. ex germen primo factum est genus ex quo postea corpus. mortale germen .i. τὸ θνητὸν γέννημα .i. mortale genus κατ' ἐξοχὴν. germen .i. βλαστὸς βλαστημα (sic).\*\*)

\*) Quae uncis quadratis inclusa sunt ego addidi.

\*\*\*) Tales et sensus et vocabulorum singulorum explicationes coniecturis suis sparsim addidit Guyetus, quas suo iure non omnes exscripsit Turkus.

- carm. I 35, 21—24 adnotat: Fortuna mutata veste .i. adversa. mutatur enim vestis ob luctum. mutatam autem fortunam colunt .i. non deserunt amici veri, qui rari sunt, ideo dixit; te rara fides colit. spes dicitur adversam fortunam comitari et colere, quod spes miseros et infortunatos nunquam destituat. haec interpretes non viderunt. G.
- carm. I 36, 1 adnotat: Porph. fidicines hodie quoque Romae ad sacra adliberi sicut et tibicines nemo est qui nesciat. ergo Porph. vixit ante sublata gentilium sacra. G.
- carm. I 37, 24 reparavit mutatum in repedavit; in margine: an repedavit, è var. lect. reperavit? placet. Onom.[asticon p. 158b Labb.] repedo, ἀναποδίω. Non. in Repe dare p. 165 [Merc.]. vide locum et ibi notata exscribe. [sic etiam Rob. Titius.]
- carm. II 1, 2 modos in dolos mutatum; in margine: ex dolos genuino primum factum est domos, ex quo modos.
- carm. II 1, 18 aureis in auras mutatum; in margine: γρ. auras. sic Reg. 2<sup>us</sup>.
- carm. II 1, 21 audire in videre mutatum; in margine: hic videre legendum videtur pro audire, et fortasse τὸ videre mutatum fuit in audire propter sequens videor. [sic etiam Bentleius.]
- carm. III 3, 33 ad Marti redonabo adnotat: an quod primum Marti dederit in lucem editum, cum sit Lucina Juno? G. placet.
- carm. III 3, 47 Europen in Europaeum mutatum; in margine: an, Europaeum ab Afro. nec obstat ἐκθλιψις τοῦ m in Europaeum. infra enim durius v̄r τὸ neque Militum arma. [c. III 21, 20] et, cui rex deorum regnum in aves vagas dedit [c. IV 4, 2 sq., ubi 'permisit'] etc.
- carm. III 4, 9 ad fabulosae adnotat: .i. τῆς πολυμύθου ob Diomedis fabulam et sociorum ejus in aves Diomedaeas conversorum.
- carm. III 4, 42 ad scimus: quasi vero juppiter Musarum consilio usus Titanas devicerit. nisi forte consilium omne a Musis esse vult. An Pallas eadem est cum Mnemosyne Musarum matre?
- carm. III 5, 10 nominis mutatum in numinis; in margine: corr. numinis. G.
- carm. III 8, 15 Perfer in Profer mutatum; in margine: .i. perduc, διάγαγε. an profer legendum? libri omnes perfer habent, interpretes agnoscunt. sed τὸ profer magis placet. sic infra pag. 88 [carm. III 21, 21 sqq.] Te liber et si laeta aderit venus vivaque producent lucernae Dum rediens fugat astra phoebus. τὸ profer in perfer mutatum fuisse v̄r propter dictionem mox sequentem procul; quasi male τῷ profer ex tam propinquo adsonaret. [Profer codd. nonnulli.]
- carm. III 8, 20 adnotat G.: ordo; Medus infestus (Romanis sup.) dissidet sibi .i. à se. sic supra [v. 10 sq.]; Demovebit corticem amphorae. pro dimovebit ab amphora. sic differre illi pro ab illo differre. G. interpretes τὸ sibi cum infestus conjungunt. G.
- carm. III 9, 14 Ornithi in Ornyti mutatum; in margine: sic Regius secundus diserte. Regius pr. et Put. Orniti. [Ornyti cum libris etiam Bentleius omnesque edd. recentiores.]
- carm. III 16, 18 adnotat: scr. perhorruit. G. et in mg.: an perhorruit 3a pers. legendum, ut ad Maecenatem referatur? τὸ perhorruit in perhorruī mutatum v̄r propter sequentia illa [v. 22 sq.]; Nil cupientium nudus castra peto etc. τὸ perhorruit placet. nam conspicuum tollere verticem de se ipso Libertini filio Horatius dixisse non v̄r. de

Maecenate commode intelligi possunt qui equestri dignitate contentus vixit, cum ad maiora aspirare posset. G.

carm. III 27, 11 ad oscinem adnotat: an oscinium scribendum? G.

carm. III 28, 16 nox in mox mutatum; in margine: corr. mox. G.

carm. IV 2, 57—59 adnotat: .i. lucem lunae tertiae imitatus per notam corniculatam scil. quam in fronte habebat. interpretes omnes non ceperunt. de cornibus ne cogitavit quidem Horatius. G.

carm. IV 4, 17 Rhaeti in talem mutatum; in margine: talem scrib. pro Rhaeti vel sic: Talem viderunt bella sub Alp. Drusum gerentem Vindelici. Diu lateque etc. sic alibi [c. IV 14, 8 sq.]: Vindelici didicere nuper quid Marte posses etc.

carm. IV 4, 65 euenit in eminet mutatum; in margine: .i. emergit. an leg. eminet? τὸ evenit non placet. ex eminet primum emenit ex quo evenit factum ᾠ. v. codd. vet. eminet extra terram. Plinius [n. h. XVII § 154]. eminet ferrum per costas Livius [VIII 7, 11]. eminens è mari globus terrae. [Cic. Tusc. I § 68.]

carm. IV 6, 1 ad magnae adnotat: vanae f. G. et in altero margine: an vanae legendum?

carm. IV 13, 20—22 adnotat: An sic legendum et distinguendum:

Quae me surpuerat mihi?

Felix post Cynaram tota, tot artium

Gratarum facies! admirationis nota post τὸ facies.

carm. IV 14, 4 fastos in fastus mutatum; in margine: Regii c. fastus, sic Put. lib. Aeli vetusto etc. per memores genus omne fastus supra [c. III 17, 1]. Lucan. [X 187] fastibus dixit. vide indicem Grotii. pl. τὸ fastus hic propter praecedentem vocem titulos. [Sic codd. plerique.]

ibid. v. 7 ad Quem adnotat: γρ. Quam. G.

ibid. v. 9 ad nam adnotat: ergo Genauni et Brenni Vindelicorum partes. τὸ Nam hoc inferre ᾠ. quid si nunc, pro nam, legas? et ibid. ad v. 10: An, Brennosque deuicit feroces Alpibus impositos tr.

ibid. ad v. 29 sq. adnotat: ferratos belli hostes dixit ex Ennio [Ann. v. 273 V. 251 M. Belli ferratos postes portasque]. sed agmina ferrata διθυραμβικώτερον ᾠ. G.

epod. XII 1 adnotat: vetus liber Faerni longis quod hominis ἐπίθετον ᾠ. τὸ Longis autem mutatum videtur in Nigris ob elephantum colorem ab imperitis. et in altero mg. ad barris: An κύριον? placet. Auct. Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis [sat. I 7, 8]. ide, Nonne vides ut Barrus inops [v. sat. I 4, 109 sq.]. item ut siqui aegrotet quo morbo Barrus [sat. I 6, 30] etc. Vet. lib. Faerni Longis barris quod huc facit.

epod. XVI 6, astri in austri mutatum; in margine: Reg. 2<sup>us</sup> habet austri quae lectio pl. [austri cod. Bern. 363 al.; recepit quod sciam nemo.]

sat. I 2, 38 moechis in moechos mutatum; in margine: moechos sic Regius primus, sic autem legendum esse ex Ennianis versibus [ann. v. 454 V. 477 M.] patet. Audire est operae pretium, procedere recte, qui rem romanam Latiumque augescere vultis. Nam τῶν procedere recte rem Romanam respondet τὸ moechos recte procedere .i. εὖ πράττειν. τὸ moechis recte procedere nihili est. G. [sic libri nonnulli iisdemque versibus Ennianis allatis Bentleyus.]

- ibid. v. 46 ad iure omnes in marg. adscripsit G.: An iure omnia? pl.
- ibid. v. 81 adnotat ad verba Sit licet hoc Cerinthe tuum ab ipso parenthesi inclusa: sit mos tuus, sit tuum hoc, ornari scil. unionibus et smaragdis.
- sat. I 4, 73 adnotat ad Non recito cuiquam: hinc patet satiras ante ejus mortem editas non fuisse et ab iis qui ediderunt interpolari potuisse.
- ibid. v. 122 hoc in ac mutatum; in margine: sic omnino legendum  $\bar{v}r$ , alioqui sententia claudicabit. G. N, hac, hoc.
- sat. I 8, 20 perdere in pellere mutatum; in margine: an pellere legendum. τὸ perdere hic locum non habet. ex abbreviatione mendum natum videtur. plere  $\bar{p}dere$ .
- sat. I 10 sub finem adnotat: hanc Eclogam X<sup>am</sup>. subscribe Eclogae IV<sup>ae</sup>. Eupolis atque Cratinus etc. quod haec sit illius ἀπολογία. G.
- sat. II 3, 25: An Mercuriali, ut Damasippus dictus sit Mercurialis? An Mercuriale cognomen pro Mercurius? Sic Com. pl. et in mg. sup.: An leg. Mercuriali imposuere mihi cognomen compita etc. alibi: Mercurialium custos virorum .i. ingeniosorum vide locum [c. II 17, 29 sq.].
- ibid. v. 30 Ut in et mutatum; in mg. sup.: scribendum  $\bar{v}r$ : et Letargicus (*sic*) hic etc. τὸ et in ut mutatum propter sqq. et med. v.
- ibid. v. 213 ad stas animo adnotat: stare animo, est, esse animo quieto et non commoto .i. sapiente. sapientia enim in animi quiete posita videtur, contra insania et furor in motu. animi motus τὰ πάθη. G.
- sat. II 4, 13 et ut magis alba in ut et mage solda mutatum; in margine inf.: hic versus sic corrigendus  $\bar{v}r$ . V. s. m., ut et mage solda rotundis. mage solda .i. pleniora et substantiae compactioris. vulgata lectio inepta et absurda; nostram sequentia illa confirmant: namque marem cohibent callosa vitellam. ex mage solda factum est primum mage salda iuxta idioma italicum, hinc diuisim [sic ego dubitanter; 'italicum medium' legendum videbatur Türkio] magis alda, ex quo magis alba natum est. praeterea ad partem dextram: alibi et inane abscindere soldo [s. 1 2, 113], et, Nasicae metuentis reddere soldum [s. II 5, 65], oua solida inanibus opponuntur, ὑπηνεμίοις, οὐρλοῖς etc.
- sat. II 5, 105 Commisum in permissum mutatum; in margine: Regii 3 permissum. pl. [Permissum libri et edd. fere omnes.]
- sat. II 6, 70 humescit in uvescit mutatum; in margine: γρ. uvescit. sic Regii 3. alibi [c. IV 5, 38 sqq.] dicimus integro sicci mane die, dicimus vuidi cum sol oceano subest. [uvescit etiam libri multi, edd. rec. quod sciam omnes].
- ep. I 1, 6 ad exoret adnotat: Reg. pr. exornet cum glossa superlineari .i. suo ludo decoret quam lectionem non eò quod pretii alicujus esse existimarim huc adferre libuit, sed ut Lambinum a falsi crimine liberarem quod ei Torrentius, prout solet, intentare voluit. G.
- ibid. v. 47—52 notati sunt deinceps numeris 1. 3. 4. 5. 2. 6. addita in mg. adnotatione 'post versum discere et audire, locandus videtur versus vilis arg. est auro. Sed ἐπέχω.

- ibid. v. 57 sq. mutatur ordo versuum ap. Heinsium 57: Si quadringentis etc. et 58 Est animus tibi, sunt etc. Est in Esto et sunt in sint a G. mutatis et adscripta nota: hic versus in codice vetustissimo [Buslid.], praeponitur superiori, Si quadringentis, teste Cruq. nec displicet. G. [sic etiam cum paucis codd. Bentleius et omnes fere edd.]
- ep. I 2, 52 adnotat: Nota gnomarum aceruum centoni similem, qui hominis rustici character est, teste Arist. in Rhetoricis ad Theodecten [Ar. rhet. II 21 p. 1395<sup>a</sup> 6], non aulici elegantis qualis fuit Flaccus noster.
- ep. I 5, 14 sq. adnotat: incipiam spargere .i. spargam. Nota phrasin Propertio familiarem. vide notata ad Propertium. G.
- ep. I 11, 17 adnotat: hic incolumis est saluus σωός, non exul, integra fortuna. incolumis status. Suet. [Ner. c. 54] incolumitatem et libertatem retinent civitates. Cic. [de inv. II § 168] male interpr. vett. et novi. G.
- ep. I 16, 40 mendacem in mendicum mutatum; in margine: Regius. tertius et Put. liber habent mendicum. quae vera lectio est a nullo hactenus observata quod sciam. Quem juuat falsus honor nisi mendicum? quem terret mendax infamia nisi mendosum .i. vitiosum? ex mendicum primum factum est medicum ex quo cum versum non impleret τὸ medicandum fecerunt, quod in plerisque libris vetustis invenitur scriptum, ut in Regio primo et secundo. G. [mendicus etiam codd. nonnulli alii cf. Kellersi epilog. p. 667 (a. 1880), ubi tacite retractari videntur, quae in apparatu crit. ed. a. 1878 prolata sunt.]
- ep. I 19, 13 adnotat in mg. inf.: scribendum omnino  $\bar{v}r$ : Exiguaque toga simulet tonsuque Catonem. Nota est Catonis simplicitas in vestitu et tonsura. quidam libri veteres si bene memini habent tonsore pro textore, quae lectio vestigium est veteris lectionis tonsu. τῶ(?) tonsu enim tonsura glossema ascriptum est quod in textu receptum et tandem(?) in tonsore metri causa mutatum quod demum in textore mutatum. [Alia eodem spectantia addidit in mg. sup. et ad mg. dextrum.]
- ep. II 1, 53 adnotat: legendum  $\bar{v}r$ : Naevius in manibus nunc est. G. [sic etiam Dousa].
- ibid. v. 188 ad incertos adnotat: insanos f. placet. et in mg. inf. pag. praecedentis: cur incertos? immo auribus oculi sunt certiores. Lucret. [immo paucis mutatis Horat. a. p. v. 180 sq.]: tardius irritant animos demissa per aures quam quae sunt oculis commissa fidelibus etc. τὸ incertos hic alienum  $\bar{v}r$ , quare insanos oculos rescribendum censeo .i. spectaculorum libidine insanientes, insanabiles. exempla quaerenda.
- ibid. v. 204 adnotat: scribendum omnino videtur: quibus obsitus actor. simile erratum in priapeis [XIV 10] admissum: Nigra fornicis oblitus favilla, quod ex lib. mss°. Thuani tollendum, in quo legitur: nigra fornicis obsitus favilla.
- ibid. v. 229 adnotat: qui hic aliquid deesse et ex sequenti epistola petendum censent, non parum falluntur. [Dan. Heinsium significat G. cf. eius in Q. Hor. Fl. animadversiones et notas huic ipsi ed. adnexas II p. 63 sqq. ad ep. II 2, 87].
- art. poet. v. 172 ad avidusque futuri adnotat: lego: pavidusque futuri. quid enim est τὸ avidusque futuri. [sic etiam Bentleius consentiente fortasse cod. Reginensi m. pr.]

ibid. v. 220 ad certavit adnotat: i. ἡγωνίσαστο. Regius secundus habet cantavit quod ad nomen τῆς τραγωδίας (sic) alludit .i. ad Διθύραμβον, unde tragoedia orta est teste Aristot. de poetica [c. 4 p. 1449<sup>a</sup> 9 sqq.] quem vide. sed τὸ cantavit genuinum non videtur.

ibid. v. 328 poterat in properat mutatum; in margine: leg. f. properat dixisse .i. properans respondet .i. docte et expedite respondet. [sic Schneidewimus Philol. III 539 sq. a. 1848.]

ibid. v. 386 adnotat: leg. v̄r: id tibi iudicium esto; ea mens. [sic con. Fea.]

Ex his omnibus intellegitur, recte et Fridericum Henricum Bothium et Petrum Hofmanum-Peerlkamp, ut de illo I p. 6; 17 sq., de hoc Ritschelio duce ibidem p. 18 indicatum est, Guyeti fere successores dici posse; Bentleii vero successores hos viros sane et ipsos acutos et audaces non magis dixerim quam Bentleium successorem Guyeti. Nimiis me quidem iudice et Guyetum et Hofmanum honoribus extollit Isaac Uri, cuius doctam atque utilem de Guyeto dissertationem in huius commentationis particula priore debitis laudibus praedicavi, atque me sibi fere comitem adiungit, si (rev. crit. h. a. n. 18 p. 352) humanissime de opusculo illo meo verba faciens dicit, me saepius indicare, his adnotationibus Guyetianis confirmari iudicium a se in dissertatione illa de methodo critica a Guyeto adhibita prolatum atque probari, Guyetum dignum esse, qui in historia philologiae Bentleio et Peerlkampio adiungatur ('d'être mis a côté d'eux'), nam hos eius principiis se tantum, ut verbo ab eo usurpato utar, inspirasse. Quod de Hofmano sane ll. ll. concessi et concedo, de Bentleio concedere nequeo. Acumen et audaciam sane Guyeto quoque atque Hofmano tribui ac tribuo; atqui hi fere libero suo arbitrio quocumque tempestas eos rapit se duci patiuntur, Bentleius primum firmum ac iustum fundamentum ponit, tum recta methodo ac strictis legibus se ipsum coercens progreditur; immensam deinde materiam ad probandas sententias suas undique congerit et artificiosissime sollertissimeque componit, qua in re si aliquatenus Peerlkampius cum eo comparari potest, Horatianae certe Guyeti adnotationes, ab ipso sane ut nunc exstant, publice non propositae, nihil sunt nisi rudis indigestaque moles. Quod vero ad interpolationes in carminibus Horatii traditis ab eo statutas continet, Hofmanus sane vestigia eius fere pressit, quod ipse libentissime agnovit,\*) Bentleius vero cautissimum ea in re se praebuit, singulos modo, quod sciam, carminum (IV 8, 17) et satirarum (I 5, 92) versus condemnans nec plures, sat. scil. II 2, 38 et a. p. 337, addubitans, desperans denique de epod. V v. 87 sanando indeque fere hunc etiam locum fortasse spurium et interpolatum esse coniciens. Etiam hic Guyeti acumen Bentleio cognatum agnoscemus: minus sane in eo, quod et Sat. I 5 versum 1. intactum reliquit et cum carmen IV 8 totum reiecerit variosque in eo versus tamquam spurios singillatim significaverit, ut I p. 14 sq. vidimus, v. 17 illum maxime suspectum non attigit, sed quod et ipse versus sat. II 2 et a. p. modo allatos et epod. V v. 85—88 reiecit. Sed praeter acumen etiam agnoscemus licentiam eius, qui innumeris aliis locis in Horatium vehementissime ac violentissime grassatus est. Nec minus utriusque qualitatis vestigia in adnotationi-

---

\*) Cf. I p. 8; in satiris contra, quod iam nunc addo, ut in arte poetica, parcissime interpolationes statuit H. P.

bus Guyeti criticis ad singulos versus agnoscas: in nonnullis quidem locis ex libris aut ex emendatione rectam scripturam restituit, partim hic quoque cum Bentleio conspirans, aliarum coniecturarum, earumque fere, quae etiam ab illo aliisque criticis recentioribus propositae sunt, ratio certe aliqua haberi potest, etiamsi vix verae existimandae sint, pleraeque autem sine iusta causa ex mera coniectandi libidine ortae omnino non dignae sunt, quae serio ad poetae verba constituenda adhibeantur. Quae omnia ab eo facile perspicientur, qui has adnotatiunculas paullo accuratius inspexerit comparatis iis, quae de aliis scripturarum a Guyeto cum propositarum tum inventarum auctoribus addidi. Commilitones autem Guyetana haec farrago docebit, non solo arbitrio, sed arte iustae methodi fundamentis nisa veterum scriptorum opera recenseri atque instaurari debere, licentiam vero domandam esse consilio et prudentia.

Scr. m. Iunio a. MDCCCXC.

---

